

Si autem fingatur negatio libera alterius actus naturalis, qui simul esse posset cum affectu credendi, illa, sive bona sive mala sit, est impertinens ad auxilium efficax ad credendum, quamvis nec sit ad illud necessaria, nec necessitans, ut per se patet; si vero sit mala, multo minus erit necessaria ad tale auxilium, et potius poterit impedire illud; tamen non necessario impedit, quia non habet formalem repugnantiam cum tali determinatione, et ideo, non obstante illa negatione, poterit voluntas determinari, vel a se cum auxilio Dei, vel a solo Deo, juxta aliam sententiam, quia, non obstante quacumque culpa, potest et solet Deus conferre auxilium gratiæ, maxime quando culpa disparata est, ut sic dicam, et non habet formalem repugnantiam cum tali auxilio. Igitur nullo probabili modo cogitari potest talis negatio, quæ sit dispositio sine qua non datur, et cum qua infallibiliter datur auxilium efficax.

*Quibus difficultatum labyrinthis se implicent adversarii.* — Tertio, introduci possunt hi auctores in aliud labyrinthum, a quo nullum possint exitum invenire. Nam ipsi tam necessariam putant esse determinationem a Deo per efficax auxilium, ut ad omnem actum voluntatis creatæ putent esse necessariam, servata proportione; id est si actus est supernaturalis, determinatio erit etiam supernaturaliter infusa, et auxilium erit gratuitum; si autem actus sit naturalis, determinatio erit naturalis. Unde fit ut, juxta eorum sententiam, sicut in omni actu voluntatis, proxima ratio operandi illum, est quia Deus determinat voluntatem ad illum, ita e converso, quando voluntas non vult aliquid, etiam adhibitis aliis requisitis ad operandum, prima ratio non habendi talem actum sit, quia Deus non determinat ad illum; nam si affirmatio est causa necessaria et adæquata affirmationis, negatio est similiter causa negationis. Cum ergo dicitur dari ex parte hominis dispositio negativa, ob quam Deus illi confert auxilium efficax, clarum est dispositionem illam non posse esse nisi carentiam alicujus actus, quem voluntas potest elicere, et libere non elicit, quia non potest alio modo esse negatio illa libera.

Non possumus ergo in illa dispositione sistere, sed ulterius interrogare quæ sit in tali voluntate radix et prima causa illius negativæ dispositionis. Nam profecto consequenter respondendum est, ideo voluntatem hanc non habere talem actum, quia Deus non determinavit eam ad illum; quia sine tali de-

terminatione non poterat illum habere nec inchoare, et talem determinationem habebat in sua potestate. Quod si ulterius requiratur cur Deus non dederit voluntati determinationem ad illum actum, non possumus recurrere ad aliam dispositionem priorem ejusdem voluntatis; nam procedemus deinde ad interrogandum de illa, et nunquam finiemus. Sistendum ergo erit in divina voluntate, quæ gratis voluit non dare libero arbitrio illam determinationem, qua negata necessario sequitur in ipso arbitrio illa dispositio negativa, unde e contrario, in eo qui non habet talem dispositionem negativam, sed potius actum illi oppositum, necesse est ut prima ratio carenti illa dispositione negativa sit sola voluntas Dei determinantis voluntatem creatam ad talem actum. Proxima enim et quasi formalis causa carenti illa dispositione, est quia voluntas elicit talem actum, prior vero ratio cur elicit est quia determinatur a Deo. Prima vero causa ob quam a Deo determinatur ad talem actum, est quia vult. Nec fingi potest alia prior dispositio libera ob quam a Deo sic determinetur ad talem actum impeditivum talis auxilii efficacis, quia iterum ibi procedemus sine termino. Igitur radicabiliter ex sola voluntate Dei nascitur, quod hic homo habeat talem dispositionem negativam; cumque illa dicatur esse necessaria ad auxilium efficax gratiæ obtinendum, manifestum est talem hominem destitui a Deo in necessariis ad salutem, sola Dei voluntate, et privari auxilio efficaci propter determinationem quam ipse vitare non potest.

*Ad quas angustias ex adversariorum doctrina redigatur nostra libertas.* — Ex quo discursu tam manifeste concluditur per hanc dispositionem negativam non salvari veram libertatem in determinationibus liberi arbitrii, ut non immerito inferre possimus ex hac doctrina redigi libertatem nostram ad has angustias, quæ occasionem præbeant hæreticis dicentibus esse rem de solo titulo. Probatur, quia ostensum est illam dispositionem negativam, in eo qui illam habet, necessario oriri ex carentia divinæ determinationis, quam Deus ex se et mera sua voluntate non imprimit; in eo vero qui illa caret, necessario sequi carentiam ex determinatione divina ad oppositum actum, quæ determinatio etiam non est in hominis potestate, sed solius Dei. Unde constat explicari nullo modo posse quomodo sit liber ad operandum, qui non habet determinationem a Deo, cum nulla possit in-

eo fingi dispositio libera, per quam talem determinationem consequatur. Quod si intelligi non potest quomodo sit liber ad operandum, multo minus intelligi potest quomodo habeat auxilium sufficiens ad talem operationem, ad quam nec determinatur, nec viam habet in sua libertate positam ad consequendam determinationem. Unde, neque in eo qui determinatur, intelligi poterit quomodo sit liber ad non operandum, cum non sit liber ad determinationem habendam, cum non pendeat ex libera ejus dispositione, ut ostensum est, et posita determinatione non habeat potestatem continendi actum, sed de hoc iterum sequentibus capitibus redibit sermo.

## CAPUT XIX.

AN, SALVA LIBERTATE, POSSIBILIS SIT PRÆDETERMINATIO PHYSICA ET MODUS PROVIDENTIE ERGA PRÆDESTINATOS, QUEM AUCTORES ILLIUS SENTENTIE DOCENT.

Quæ in tribus proxime præcedentibus capitulis tractata sunt, directe procedunt contra necessitatem physicæ prædeterminationis; non desunt tamen qui dicant, etiamsi necessaria non sit, nihilominus esse possibilem, et saltem in prædestinatis omnino esse ponendam. Fundamentum prioris partis est, quia pertinet ad omnipotentiam Dei et supremum dominium quod in humanam voluntatem habet, ut possit illam movere quantum et quomodo voluerit, atque adeo prædeterminare illam physice, ut libere consentiat. Alterius vero partis fundamentum est, tum quia movet Deus prædestinatos efficacissime quantum potest, quia in hoc gratiam suam ostendit; tum etiam ut certitudo prædestinationis sit ex sola Dei voluntate, et non aliunde, et ideo dixit Cabrera, *non reliquisse Deum in prædestinatis initium efficacis suæ conversionis in arbitrio eorum, sed tale initium sua divina voluntate efficaciter prævenire, et facere decrevisse.* Per initium autem efficacis conversionis, intelligit significatque illud initium nihil aliud esse quam ipsummet actum conversionis, ut prius natura inchoatum a solo Deo. Aliqui vero hoc extendunt ad omnes justos vel fideles, etiamsi reprobis tandem sint, quia saltem sunt prædestinati ad gratiam temporalem vel fidem, ad quod etiam est necessaria saltem prædefinitio talium actuum, quæ prædefinitio per physicam prædeterminationem executioni mandatur, et alio modo non potest esse infallibilis neque efficax, ut existimant.

*Talis prædeterminationis modus, quem docent auctores adversæ sententiæ, est impossibilis cum actuali libertate ejusdem actus, ad quem voluntas prædeterminatur.* — Dico vero imprimis talem prædeterminationis modum esse impossibilem cum actuali libertate ejusdem actus, ad quem voluntas prædeterminatur. Probatur ratione sæpe facta, quod illa determinatio recipitur in voluntate hominis, et ita, eam habere, videtur non esse liberum homini, sed necessarium, quia est mera receptio ad quam voluntas, non agendo, sed recipiendo, concurrat, nec est liberum influere in actum cum illa, quia post receptam determinationem non est in potestate voluntatis suspendere influxum suum; ergo nullo modo est liber talis influxus, nec actus ex illo; eo vel maxime quod illa determinatio dicitur esse ipsemet actus, ut a solo Deo inchoatus; posita autem tali inchoatione, tanta necessitate sequitur conversio, ut implicet contradictionem non consummari, quia impossibile est initium actus esse impressum voluntati, et voluntatem non elicere actum; ergo non manet libertas, nisi de solo titulo, id est oppositorum capacitas, non vero opposita necessitati; ergo libertas ipsius actus non potest stare cum simili prædeterminatione. Nec pertinet ad dominium vel omnipotentiam Dei hæc duo simul conjungere in eodem actu, quia non spectat ad divinam omnipotentiam duo contradictoria simul in eodem subjecto conjungere; talia autem sunt, eandem potentiam hic et nunc esse ab extrinseco et ex necessitate prædeterminatam ad exercitium talis actus, et manere indifferentem, ut libere talem actum non eliciat, si velit.

Respondent hoc esse verum, quando illa determinatio est ab intrinseca natura, non vero quando est ab intrinseco agente superiori. At hoc profecto non minuit, sed auget potius repugnantiam, primo, quia determinatio, ab extrinseco illata, contraria est naturali conditioni potentiæ liberæ, et ex hac parte non solum necessitatem, sed etiam violentiam vere induceret, et fortasse ob eam causam solent Patres dicere, Deum non prædeterminare voluntatem, quia illi non infert vim; tum etiam quia illa determinatio quæ est ab extrinseco, non est minor sed major necessitas quam illa quæ est naturalis. Nam illa quæ est ab intrinseco, ut in igne ad calefaciendum, est potentialis, ut sic dicam, quia talis potentia nata est sic operari, et non aliter; hæc vero, quæ ab extrinseco imprimi de-

bet, est actualis, quia est ipsamet inchoatio actus, seu promotio quædam inseparabilis ab actuali actione; unde fit ut, priori determinatione intrinseca permanente, possit non sequi actio, si Deus suspendat concursum suum; stante vero hac prædeterminatione a Deo impressa, implicat non sequi actionem et consensum, quia illa prædeterminatio intrinsece involvit actualem Dei concursum; si ergo intrinseca et naturalis determinatio potentiæ ad unum non stat cum libertate actionis, multo minus stare poterit cum prædeterminatione actuali ab extrinseco illata; solum ergo potest ad hoc conferri illa differentia ut, quando potentia est ab intrinseco determinata, neque actio neque potentia libera sit; quando vero determinatio ab extrinseco fit, possit potentia in qua fit secundum se libera esse; sed hoc non satis est ut actio sit libera, quia impeditur ne libertate sua utatur, cum dicto modo prædeterminatur, ut ostensum est.

Addo secundo, si talis determinatio necessaria non est ad efficiendum actum supernaturalem, voluntarium et irrationabile est asserere de facto nullum actum supernaturalem fieri sine illa; voluntarium quidem, quia nec revelatum est, neque aliqua gravi auctoritate constat, neque ratione efficaci ostendi potest, nam si necessarium non est, pendebit ex Dei voluntate; irrationabile autem id appello, quia si hæc determinatio necessaria non est, ergo sine illa possint homines sufficienter vocati a Deo consensum inchoare et præstare, darique potest ex parte Dei auxilium omnino simultaneum, et cooperans ad illum actum, et inchoationem ejus; denique se determinare potest ipsum liberum arbitrium cum auxilio Dei concomitante, etiamsi a Deo solo non prædeterminetur.

Si ergo hæc potestas est in libero arbitrio excitato per gratiam, cur dicemus de facto nullum hominem sufficienter vocatum hoc modo ad sequendum Deum, etiamsi non sit prædeterminatus a solo Deo, aut unde potest esse certum et infallibile neminem, non prædeterminatum a Deo, seipsum determinare cum gratia Dei? Non enim potest esse certum in causa proxima, cum supponamus habere sufficientem vim sine prædeterminatione divina, quia etiam supponimus illam determinationem non esse necessariam.

Neque etiam est certum in voluntate divina prædefiniente talem eventum, quia, esto Deus prædefiniat non dare aliquibus hominibus, a se sufficienter vocatis, prædetermina-

tionem ad consensum quam ipse solus faciat, non tamen dici potest prædefinire voluntate absoluta, ut illi non convertantur et determinationem, si velint; quia, licet ipse deneget determinationem, non tamen negat rem necessariam, ut admittit hæc opinio; ergo manet in homine potestas integra ad suam conversionem. Nec etiam dici potest quod Deus, absoluto decreto et ex se solo, statuerit ut talis homo non convertatur. Tum quia illud objectum non est per se bonum, nec amabile a Deo, quia non est consentaneum bonitati ejus; tum etiam quia, ut voluntas illa infallibiliter impleatur, oportet ut Deus ex parte sua impediatur conversionem et determinationem liberi arbitrii ad illam. Quia si in illa est potestas sufficiens, et cum omnibus aliis requisitis ad operandum, ut ratio libertatis requirit, non potest esse certum quod talis voluntas Dei infallibiliter implebitur, nisi ipsemet assumat curam impediendi bonum usum illius potestatis, saltem denegando Dei concursum vel cooperans auxilium necessarium, quod nullo modo de Deo sentiri potest, alias desereret hominem priusquam ab ipso desereretur.

*Effugium.*—*Præcluditur.*—Quod si tandem dicatur esse hoc certum in sola præscientia Dei, absoluta, vel conditionata, scilicet, quia Deus prævidit nullum hominem, quantumvis vocatum et excitatum, effecturum fuisse determinationem ad bonum, quamvis posset, si illa determinatio relinqueretur libertati ejus, et Deus sola sua virtute illi non imprimeret determinationem; Deum autem (hac scientia supposita) voluisse multos homines non prædestinare ad bonum, sed permittere seu relinquere eis determinationem, et ita scientiam illam conditionatam transivisse in absolutam de tali eventu, quod, scilicet, nullus illorum hominum determinandus esset ad bonum, contra hoc instamus, quia hujusmodi responsio non habet locum in præfata sententia; tum quia supponitur Deum non habere illam præscientiam, nisi in hoc decreto prædeterminativo; hæc autem responsio ponit præscientiam ante decretum; tum etiam quia si non fundatur in prædeterminatione Dei, quia non judicatur necessaria, oportet supponere causam ipsam secundam ita fore determinandam ex sua libertate, quæ suppositio est voluntaria et sine fundamento; nam si voluntas sunt liberæ et sufficienter præparatæ per vocationem, et non sunt impeditæ, sed potius habent paratum concomitans auxilium, cur

futurum est ut nulla earum determinetur ad bonum, si non prædeterminatur, quandoquidem supponitur prædeterminationem non esse per se necessariam? Ergo sine fundamento asseritur Deum hoc præcivisse, et per se incredibile est, nam potius est verisimile, ex tot causis in utramque partem contingentibus, multas fore determinandas ad bonum, licet plures aliæ sint defecturæ; ergo verisimilius est hoc præcivisse Deum.

Solum video fingi et excogitari posse Deum quidem in præscientia conditionata præcivisse ex hominibus sufficienter vocatis, si permitterentur suam determinationem inchoare, quosdam determinandos fuisse ad bonum, quosdam vero et quamplures ad malum, et tunc Deum decrevisse efficaciter prævenire ac prædeterminare illos omnes, quos præviderat bene determinandos si sibi relinquerentur, ut majorem eis gratiam faceret; alios vero reliquisse sine tali determinatione, quæ illis debita non erat, et ita factum esse ut omnes, qui de facto convertuntur, habeant prædeterminationem ex Deo, non ut necessariam, sed ex abundantiori gratia; qui vero non convertuntur careant prædeterminatione, non tamen potestate se determinandi, qua præsciens Deus eos non fuisse bene usuros, sua libertate id permisit.

Verumtamen, licet hoc posterius de reprobis, et omnibus male utentibus gratia Dei tolerari possit, tamen illud prius, præter incommodum supra relatam de ablatione libertatis, est voluntarium, quia est sine fundamento et omnino superfluum. Nam si ad effectum infallibiliter consequendum sufficit liberum arbitrium cum auxiliis prævenientibus et concomitantibus per se necessariis et accommodatis conditioni et modo talis arbitrii, quid necesse est fingere Deum immutare hunc operandi modum, addendo aliquid non necessarium, et modo libertati minime accommodatum? Neque illa dici potest major gratia, sed superflua, quia non confert ad majorem effectum, nam (ut supponitur ex præscientia conditionata) eadem conversio fieret; vel etiam dici potest gratia violenta, quia tollit libertatem, ut in assertione prima probatum est.

*Non est conveniens illa providentiæ ratio, qua dicitur Deum non reliquisse in arbitrio prædestinati initium efficacis actus conversionis.*—Unde dico tertio non esse convenientem illam providentiæ rationem, qua dicitur Deus non reliquisse in arbitrio prædestinati

initium efficacis actus seu conversionis. Probatur, quia vel hoc est, quia voluntas creata, etiam sufficienter vocata et habens paratum concomitans auxilium, non habet in potestate sua determinationem suam seu initium actus, vel quia, licet illam habeat, prævenitur a Deo in prædestinato ne illa utatur, sed a solo Deo prædeterminetur; primum dici non potest, nisi incidendo in omnia incommoda quæ cap. 16 de reprobis tractata sunt, et contradicendo Concilio Tridentino, qui libero arbitrio a Deo vocato et excitato hanc tribuit potestatem; quam etiam Scriptura supponit, cum dicit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* et alibi: *Ego sto ad ostium et pulso, ita si quis aperuerit, intrabo ad illum.*

*Prædestinationis certitudo sufficienter stabilitur ex divina electione absoluta, supposita scientia conditionata.*—Sin autem dicatur secundum, jam supponitur determinationem illam non esse simpliciter necessariam ut voluntas consentiat; et ita contra illam partem procedunt omnia dicta in præcedenti assertione, et præsertim sequitur illum providentiæ modum violentum esse, alienumque a suavitate divinæ providentiæ, quia non relinquit causam secundam operari juxta modum sibi connaturalem, quæ ratio maxime urget, si verum est quod supra intulimus et verum credimus, talem prædeterminationis modum repugnare libertati, et licet non omnino illam tollet, negari non potest, quin magna ex parte illam diminuat; ergo si talis providentiæ modus non est simpliciter necessarius, nec pertinet ad essentialem subordinationem humanæ voluntatis ad divinam, etiam in operibus gratiæ, non est verisimile generaliter dari omnibus prædestinatis, vel ad omnia supernaturalia opera, quæ de facto fiunt ea supernaturali providentia. Nam extraordinariæ gratiæ, qualis esset hæc prædestinatio, si esset possibilis et non necessaria, non dantur generaliter omnibus, nec fiunt necessariae ex superadjuncta providentia, si ex indigentia causæ secundæ ad talem effectum comparatæ necessariae non sint. Accedit tandem quod ad certitudinem prædestinationis non est necessarium hoc providentiæ genus; nam certitudo prædestinationis sufficienter stabilitur ex divina electione absoluta, supposita præscientia conditionata, et subsequente vocatione congrua.

Ex his ergo satis constat falsam esse differentiam illam inter prædestinatos et reprobos, quam P. Cabrera invenit (ubi enim illam

legerit non invenio), scilicet, reliquisse Deum initium efficaciam actus in manu reprobis, ut illud nunquam efficiat, quia non potest, ut ipse ait, et ita damnetur, quia non facit id quod facere non potest, non reliquisse autem Deum initium efficaciam actus in manu predestinati, sed illam suae potentiae reservasse, ut ita predestinatus non solum sine sua libertate predestinetur, sed etiam sine sua libertate salvetur. Utrumque enim sequi probatum est. Cum ergo falsum sit utrumque consequens sine controversia, quam bona est utraque illatio, tam mala est illa doctrina et falsa differentia inter predestinatos et reprobos, quoad illum providentiae modum.

Secundo, sequitur falsam esse propositionem illam ejusdem auctoris: *Actus conversionis, etiam ut exercitus, non refunditur in liberum arbitrium, ut elevatum per habitum, vel auxilium preveniens*, et pro ratione subjungit, disp. 6, dub. 3, quod auxilium sufficiens tantum dat posse; ergo tantum respicit actum ut possibilem; ergo illi tantum tribuitur actus ut possibilis, non ut exercitus; ergo ut sic refunditur in solum Deum. Eadem plane doctrinam amplectitur Avila, cum ait non esse tribuendum libertati hominis quod vocatus consentiat, sed solum Deum id facere.

*Adversariorum doctrina rejicitur, et videtur contraria definitioni Concilii Tridentini.* — Dico ergo doctrinam hanc falsam esse, et videri contra definitionem Concilii Tridentini dicentis, sess. 6, cap. 4: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, anathema sit*, ubi expendendum est Concilium non solum dicere liberum arbitrium excitatum a Deo posse cooperari, sed cooperari assentiendo. Certum item est liberum arbitrium, a Deo motum et excitatum, non significare liberum arbitrium determinatum ad assentiendum, nam de illo dicit Concilium *posse dissentire*, si velit, quod dici non potest de libero arbitrio jam determinato ad assentiendum; significat ergo liberum arbitrium elevatum per Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem, de qua fuerat locutum Concilium, in canon. 3; ergo, ex definitione Concilii, liberum arbitrium sic elevatum efficit conversionem suam; ergo e contrario ipsa conversio refunditur in liberum arbitrium sic elevatum; quid enim est refundi in illud nisi ei attribui tanquam propriae causae in suo genere? Atque hoc ipsum plane significat Scriptura cum dicit: *Convertimini ad me, et ego*

*convertar ad vos*, ubi non postulatur conversio ut possibilis, sed ut exercita, et illa postulatur a libero arbitrio, nam (ut Concilium Tridentinum dixit) illis verbis *libertatis nostrae admonemur*; ergo conversio ut exercita refunditur in liberum arbitrium, ut elevatum per illam gratiam, quae est principium supernaturaliter agendi.

Ratione confirmatur, quia vel dicitur conversionem non refundi in liberum arbitrium, vel elevatum per sufficientem gratiam, quia non efficitur a voluntate, et hoc simpliciter est contra fidem, ut patet ex dicto Concilio, cap. 5, et canon. 14; vel quia non efficitur a voluntate ut libera, quia non fit a voluntate ut indifferente, sed ut jam determinata ad unum, quod solet a nobis ex illorum sententia inferri tanquam magnum inconveniens, quia revera tale esse existimamus, eidemque Concilio Tridentino repugnans, in eodem cap. 4; ipsi autem multum indicant hunc sensum, cum aiunt non esse tribuendum libertati hominis, quod vocatus consentiat.

Vel etiam hoc dici potest, quia consensus non efficitur a voluntate libera, ut a primaria et principali causa, et hoc imprimis non satis est, quia unicuique causae tribuitur effectus, juxta suum operandi modum, et praecipue causae vitaliter et libere operanti; et ideo licet minus principalis causa sit, id non est satis ut simpliciter negetur in illam refundi effectum. Deinde cum non sit sermo de libero arbitrio secundum se, sed ut elevato per gratiam sufficientem quae in genere suo est proprium principium sui actus, nullo modo negari potest in illud tanquam in proximam causam sui ordinis refundi talem effectum. Vel denique negatur conversio refundi in liberum arbitrium, quia determinatio ad conversionem nullo modo est a libero arbitrio, sed a solo Deo, et hoc habet incommoda omnia quae ex tali efficientia illius determinationis illata sunt, et revera coincidunt cum secundo membro, quod conversio non sit a voluntate ut libera, sed ut determinata ad unum.

Distinctio autem illa de actu conversionis ut possibili et ut exercito, sicut a nullo Theologorum ad hoc propositum applicata est, ita profecto mirabilem continet doctrinam, tam in Philosophia quam in Theologia; quis enim dicet calorem esse virtutem ad efficiendum alium calorem ut possibilem, non ut exercitum, cum repugnet efficere calorem ut possibilem? Ita ergo in praesenti dicere liberum arbitrium, elevatum per auxilium sufficiens,

respicere actum conversionis tantum ut possibilem, et non ut exercitum, seu ut actu exercendum, repugnat doctrinae fidei, ut ostensum est, et in se implicat contradictionem, quia illud auxilium non datur tantum ut actus sit possibilis, sed etiam ut in re fiat; item auxilium illud non respicit actum possibilem, ut in ea possibilitate sistat, sed ut ex illa in actuale exercitum illud reducat; ergo non respicit actum, tantum ut possibilem, sed magis ut exercitum. Nam (si ita loqui licet) actum ut possibilem respicit tanquam terminum a quo, ut exercitum autem tanquam terminum ad quem.

Unde auxilium sufficiens, seu arbitrium, ut elevatum per illud, considerari potest vel in genere causae formalis, et sic denominat actum ut possibilem ex parte agentis; vel in genere principii activi, et sic respicit actum in ordine ad existentiam actualem, et ideo, sub priori ratione possibilitatis, non respicit actum ut liberum quoad possibilitatem, quia, quod actus sit possibilis, non est homini liberum, quia eo ipso quod homo habet liberum arbitrium et auxilium sufficiens, necessario actus est homini possibilis; at liberum arbitrium elevatum respicit actum conversionis ut liberum; ergo respicit illum, non solum ut possibilem, sed etiam ut faciendum seu exercendum; ergo dum actus ille exercetur, refunditur in liberum arbitrium, ut elevatum, tanquam in principium suum; igitur hoc negare nimis alienum videtur a principii necessariis fidei.

*Avil.*, supra d. c. 10, n. 89. — Atque idem judico de illa propositione negativa: *Deus non expectat voluntatem hominis vocati ut assentiatur*; et alia simili: *Illam gratiam recipere non est facultatis nostrae, sed Dei praesidium hoc praestat*. Nam licet hoc posterius verum sit, non potest tamen facultas nostra excludi, ut in superioribus late probatum est, ubi etiam ostendimus conversionem esse ex innata libertate, quamvis non sola; et ideo ibidem ostendimus Deum revera expectare hominem, postquam illum vocavit, ut inchoet consensus cum ipso Deo, et omnia ibi adducta satis confirmant praesentem doctrinam, quibus adjungere nunc libet quod Cardinalis Bellarm., l. 4 de Grat. et lib. arb., c. 12, vers. *Ex qua sententia*, adducit ex Calvino, nam ille reprehendit Augustinum et Catholicos, eo quod asserant, *voluntatem, virtute Domini accensam ac preparatam, suas deinde in agendo partes habere circa suam conversionem,*

*concomitantem, non ducentem, pedissequam, non praevidiam*; ipse vero Calvinus aiebat, hoc perperam tribui homini, scilicet, *quod, gratia praeviente, pedissequa voluntate obsequatur*, quam doctrinam in Calvino ut erroneam damnat Bellarminus, et sane merito; nam, ut egregie Augustinus dixit, quaest. 2 ad Simplicianum, consentire voluit Deus suum esse et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo; et ideo etiam dixit libr. 83 Quaestionum, q. 68, *licet quis sibi tribuat quod veniat vocatus, non posse sibi tribuere quod vocatus sit*.

In quibus verbis clare supponit, venire, quod fit per consensum, esse tribuendum libertati hominis jam vocati, et consequenter adjuti ut veniat; dum enim libertatis operationem defendimus, nunquam gratiam excludimus, quod adversarii non observant; nam Calvinus volebat reformationem voluntatis ita esse tribuendam Deo, ut nullas partes in illa habeat libertas arbitrii, ad cujus partes multum videntur inclinare qui nos reprehendunt, eo quod dicamus conversionem esse tribuendam gratiae et libero arbitrio tanquam integrae causae totali, et hominem determinari ac converti quia vult, et majorem vel minorem gratiam obtinere, quia cum divino auxilio magis vel minus sua libertate conatur, quod Pelagianum dicit esse Cabrera, d. dub. 4, num. 43, cum tamen Concilium Tridentinum, sess. 6, c. 7, doceat unicuique gratiam infundi *juxta propriam dispositionem et liberam cooperationem*.

*Quid judicandum de propositione hic relata.* — Tandem idem judicandum censeo de altera propositione, *hominem predestinatum pro aliquo tempore fieri impeccabilem in hac vita*, quam significant dum aiunt hominem, qui recipit perseverantiae donum, per illud fieri impeccabilem; nam constat omnem predestinatum recipere donum perseverantiae pro aliquo tempore hujus vitae; pro illo ergo dicunt esse impeccabilem, quia voluntas ejus determinata est ad bonum in singulis actibus, vel saltem ad non peccandum mortaliter, unde sentiunt per hanc determinationem auferri potestatem peccandi, et a fortiori, libertatem ad peccandum, quia illa impotentia est antecedens omnem usum libertatis.

Etenim, licet non negemus posse Deum ita confirmare hominem in gratia, etiam in hac vita, ut illi auferat potestatem peccandi, ut de aliquibus confirmatis in gratia, et praesertim de Beatissima Virgine probabile est, tamen quod haec sit lex ordinaria, et providen-

tia debita omnibus prædestinatis, et quod illud sit medium per se necessarium ad salutem consequendam, nulla ratione vel auctoritate fundatum est, imo utrique valde repugnat; recte enim tria distinxit Augustinus, lib. de Corrept. et gratia, cap. 11 et 12, scilicet, posse nunquam peccare, actu nunquam peccare, et non posse peccare. Primum ait datum fuisse Adæ in statu innocentiae sine secundo et tertio; primum autem et secundum sine tertio dari omnibus adultis, qui salvantur, paucis quidem pro tempore toto vitae, omnibus autem pro aliquo tempore; tertium autem pertinere dicit ad statum gloriae, potuissetque addere, vel ad singulare privilegium, quanquam diverso modo, quia in gloria fit homo impeccabilis per intrinseca dona, in via vero non fit sine extrinseca protectione Dei, de qua alias; certum est autem eos, qui recipiunt primum et secundum, id est potestatem non peccandi et actu non peccare usque ad mortem, recipere perseverantiae donum, quia ille est effectus proprius hujus doni; ergo, ex sententia Augustini, donum perseverantiae non facit impeccabilem, quia non aufert potestatem peccandi, sed solum habet actum.

Et confirmatur primo: nam auferre ab homine viatore potestatem peccandi, est non minus miraculosum quam auferre ab illo potestatem moriendi, vel conceptibilitatem; ergo nulla ratione dicendum est pertinere hoc ad ordinariam providentiam, et necessariam ad beatitudinem cum effectu consequendam; at donum perseverantiae pertinet ad ordinariam providentiam, estque necessarium ad salutem, ut sumitur ex Tridentino, sess. 6, can. 22; ergo donum perseverantiae non facit hominem impeccabilem, ita ut auferat potestatem peccandi. Confirmatur præterea ratione sæpe insinuata, quia si talis perseverantiae modus, qui potentiam peccandi tolleret, necessarius esset ad perseverandum, non esset in potestate hominis justii perseverare, quia non potest a se auferre potentiam peccandi, neque aliquid facere quo fiat impeccabilis in hac vita, aut quo Deus teneatur potestatem peccandi auferre; ergo simpliciter loquendo non esset in potestate hominis justii salvari.

*Quæ sequantur absurda ex doctrina adversariorum.* — Unde sequuntur alia absurda supra illata, scilicet, hominem justum deserere a Deo priusquam deseratur ab ipso, dum relinquatur sine medio necessario ad non peccandum; item imputari homini id quod præstare

non potest, et similia; denique absurdum est de divina sapientia et potentia ita sentire, ut non possit hominem conservare sine peccato usque ad mortem, nisi necessitando illum ad non peccandum, seu auferendo potentiam peccandi; ergo sine fundamento dicitur hoc esse medium necessarium ad salutem prædestinatorum. Potius ergo spectat ad sapientiam Dei et efficaciam gratiae ejus, ut, conservata libertate hominis, et potestate peccandi retenta, ita illum dirigat ac gubernet, ut infallibiliter non peccet, quod fit optime per auxilia congrua, sine physica prædeterminatione.

## CAPUT XX.

SENTENTIAM DE PHYSICA PRÆDETERMINATIONE SOLIDUM FUNDAMENTUM NON HABERE, AC PROPTEREA DEFENSORES EJUS IN EO NON CONVENIRE.

*Adversariorum inconstans doctrina.* — Sicut (philosopho teste) magnum indicium consecutæ veritatis est, difficultates omnes ex illa emergentes dilucide et constanter posse dissolvere, ita e converso signum vehemens falsæ doctrinae est, ita difficultatibus implicari, ut intellectum torqueat, et inconstantem ipsum in doctrina relinquat, nunc hanc, nunc oppositam viam tentando, cum nihil mens inveniat ubi pedem figere valeat. Quod sane post variam istorum auctorum lectionem, eorumque attentam considerationem, eis contigisse reperio in evadendis difficultatibus quæ ex illa sua sententia oriuntur. Quarum capita sunt illa duo sæpe tacta. Unum est, si talis determinatio a solo Deo efficaciter facta necessaria est ad conversionem, quomodo habeant sufficiens auxilium ad salutem, qui talem determinationem non habent nec habere possunt, et quomodo liberi sint, ut converti possint, si velint, eisque imputetur quod non convertantur. Alia est, quomodo hi qui sine usu libertatis determinantur ad consensum, cum usu suæ libertatis consentiant. Ad quas expediendas difficultates, quam diversas et repugnantes vias dicti auctores tentaverint, et quam sine fructu et exitu, in capitibus proxime præcedentibus existimo esse satis demonstratum. Nunc fundamentum et naturam talis auxilii, et varii quos de hac re habent dicendi modi, non minus inter se et superioribus repugnantes, et multa quæ occasione illorum dicunt, tractanda sunt et examinanda, ut omni ex parte soliditatem illius doctrinae perscrutemur.

*Eorum fundamenta varia.* P. Cabrera, tota illa disp. 2, et fere in omnibus seqq. — Franc. Davila, d. l. de Auxiliis, per totum, præsertim c. 6, p. 46, 126; p. 375 et seqq. — Nunno, in 3 part., q. 62, a. 5, quæst. 1 et seqq. — Ut autem hoc melius fiat, a fundamento illius doctrinae incipiendum est; nam in hoc etiam vix aliquid firmum invenies in his auctoribus. Interdum enim pro fundamento hujusmodi efficaciam sumunt dependentiam liberi arbitrii a Deo, tanquam causæ secundæ a prima, ut constat ex his quæ tractavi, l. 1 de Auxiliis, c. 5, et lib. 2, cap. 1 et 6, et lib. 3, cap. 7, et latissime idem supponunt ac defendunt moderniores Doctores supra citati, qui ob hanc causam aiunt, negare hanc efficaciam modum esse contra philosophum, et philosophia principia, et contra demonstrationes naturales.

Aliquando vero non solum in hoc fundamento non persistunt, sed etiam in aliud extremum inclinant; judicant enim hoc genus auxilii efficacis et determinationis non requiri ad naturales actus, sed esse proprium ordinis gratiæ. Imo interdum significant non dari aut esse necessarium ad omnes supernaturales actus liberi arbitrii, sed solum ad actum conversionis et justificationis. Ita sentire videtur Franciscus Davila dum inquit, *auxilium efficax seu justificans esse quandam motionem actualem adulatorum, qua movente non stat quin liberum arbitrium consentiat, et animam ad gratiæ introductionem disponat.* Dixerat autem ante hoc auxilium præcedere non solum excitantes motiones non liberas, sed etiam liberos actus, quibus homo bene operando fovet illas motiones excitantis auxilii, et ita se disponit ad auxilium efficax, ut paulo inferius expressius declarat, dicens: *Qui lethali culpæ subjacet, bene utatur auxilio sufficiente, et præsto aderit auxilium efficax, et cum eo gratia justificans.* In quibus verbis manifeste limitat auxilium efficax ad ultimam dispositionem gratiæ, et priores dispositiones supponit fieri sine auxilio efficaci, tametsi negari non possit quin supernaturales sint. Et eandem doctrinam repetit, cap. 5, ubi, postquam dixit Deum disponere animam remote per auxilia, subdit: *In introductione autem gratiæ simul efficax auxilium infundit, quæ est ultima ad gratiam dispositio.* Non invenio autem in hoc auctore fundamentum aliquid propter quod auxilium efficax requirat ad hunc actum potius quam ad alios supernaturales, sive tempore antecedant justificationem, sive sequantur.

Majori ergo apparentia dicere posset auxilium efficax prædeterminans esse proprium adeoquato modo (ut sic dicam) ordinis gratiæ, quia solum ad illum et ad omnes actus liberos illius ordinis requiritur. Juxta quem dicendi modum non est fundanda necessitas hujus determinationis in generali subordinatione causæ secundæ ad primam, sed in speciali elevatione, qua indiget liberum arbitrium ut supernaturales actus eliciat. Ob hanc enim causam non videtur liberum arbitrium, etiam vocatum et excitatum, inchoare consensum, nisi prius Deus incipiat elevando ipsum et operando in illo; per hanc autem operationem Dei, necesse est determinari liberum arbitrium ad cooperandum. Quia non stat Deum ita operari, et liberum arbitrium non consentire, quia non est elevatio tantum habitualis, sed actualis, sicut est elevatio instrumenti conjuncti per actualem motionem principalis agentis. Hæc autem elevatio quoad opera gratiæ non solum est necessaria in actu perfecto ultimæ dispositionis, sed etiam in attritione supernaturali, et in quibuscumque aliis dispositionibus remotis ejusdem ordinis, quia in illis omnibus non operatur liberum arbitrium per suas naturales vires; ergo indiget prædicta elevatione; neque etiam ea tantum indiget ad illos actus supernaturales, qui tempore vel natura antecedunt justificationem, eo quod eliciantur sine habitu, sed etiam est necessaria ad eos actus qui postea per habitus infusos eliciuntur. Nam, licet habitus ipse sit connaturale principium, nihilominus voluntas per seipsam semper influit immediate in actum, etiamsi cum habitu operetur; et ideo etiam tunc indiget actuali elevatione divina, quæ per illud auxilium efficax et prædeterminans fieri censetur.

*Quidam fundant necessitatem prædeterminationis in sola indifferentia potentiæ liberæ.* — At vero alii fundant necessitatem hujus prædeterminationis in sola indifferentia potentiæ liberæ. Qui, consequenter loquendo, nec limitant necessitatem hanc ad solum ordinem gratiæ, nec illam extendunt ad omnes causas secundas; nam illæ, quæ natura sua ad unum determinatæ sunt, non indigent nova determinatione, præter determinationem ad individuum effectum, quæ per concursum generalem concomitantem sufficienter fit. Dicunt ergo, in causis liberis, qua liberæ sunt, atque adeo ad omnes liberos actus earum, necessariam esse hanc prædeterminationem propter indifferentiam talium causarum. Nam